

Rem ipsam resumamus. Xenophanis auditor fuit Parmenides, huius vero Melissus ac Zeno. Sed quia Aristoteles hunc post Xenophanem insectatur, Parmenidem ac Melissum una fere semper coniungit, Zenonis crimina prius discutiamus.

5 **Zenonis defensio** [in margine]

Ac primo dogmata sua sicuti ab Aristotele sunt exposita recenseamus: Si *quid est, impossibile est generari*. τοῦτο λέγων ἐπὶ τοῦ θεοῦ<sup>xix</sup>, *Hoc dicens de Deo*. Theologiam ergo hic tractat Zeno. Deus ergo ingenitus, ait Zeno. Si ingenitus et aeternus. Rursus: 10 Deus κράτιστον ἀπάντων, *potentissimus omnium*. Si potentissimus etiam unus. Si enim duo pluresve, non esset omnium potentissimus. Duo enim illi pares essent. Proprietas enim haec (potentissimum omnium esse) Dei est. Si pares dii duo, non sunt ambo omnium potentissimi. Si alter potentior, iam debilior ille 15 deus non est: unus ergo est Deus. Si unus undequaque sibi similis, videt etiam et audit et reliquos sensus πάντη, *omniqualiter* habet. Si sibi undique similis, sphaericus est: nam sphaera undique sibi similis et idem sibi. Et cum aeternus et sphaericus sit, nec infinitus nec finitus est. Ratio: quia cum nec principium, 20 nec medium, nec finem habeat, infinitus non est. Si autem plura esset, finitus esset, at unus est, ergo non finitus:<sup>20</sup> *Tale sane ens unum existens Deum esse dicit, neque moveri, neque immobile esse*. Immobile enim non ens est, moveri autem ea, quae uno plura sunt, et concludens hanc disputationem Aristoteles ait:<sup>21</sup> *Per omnia vero ita habere Deum aeternum et unum, similem et sphaericum,* 25 *nec infinitum, nec finitum, nec quiescere, nec immobilem esse*. Quo

<sup>20</sup> τὸ δὴ τοιοῦτον ὄν ἐν, ὄν [ὄν, ἐν ὄν,] τὸν θεὸν εἶναι λέγει, οὔτε κινεῖσθαι, οὔτε κινήτων [οὔτ' ἀκίνητων] εἶναι. [Usp. ARIST. Xen. 977b. 8–10]

<sup>21</sup> κατὰ πάντα δ' οὕτως ἔχειν τὸν θεόν, αἰδιόν τε καὶ ἕνα, ὁμοίον τε [δὲ] καὶ σφαιροειδῆ ὄντα, οὔτε ἀπειρον, οὔτε πεπερασμένον, οὔτε ἠρεμεῖν οὔτε ἀκίνητον εἶναι. [ARIST. Xen. 977b.18–20]

<sup>xix</sup> Usp. ARIST. Xen. 977a.15.